dam fuerit, ut et quorum modo omnium linguarum ad populos omnes ad Christum
adducendos usus invaluerit. Nonne denique futuram vitae coelestis suavitatem arguit satis
quod per varietatem linguarum ad unitatem fidei facta est collectio. Arguit utique: Praemissum [illegible]
ex ipso, quod Lucas Apostolus cepisse ait loqui linguis varijs, prout Spiritus singulis elo-
quendi facultatem dederit, Complementum adhuc restare, constat, quod in altera sequetur
vita, ubi Deum uno ore unaque voce concelebrabimus. Sed nolo diutius / Vos, Viri omni-
um Ordinum honoratissimi, teque studiosa Symmachorum cohors, praefando detinere. Absint
proinde ambages rerum et verborum, quae forte splendido huic Auditorio nauseam crea-
rent; absint verborum phalerae, ampullae et sesquipedalia verba / absint, dum brevibus
me expedio, et vobis instituti nostri rationem aperio. Ecce enim decem optimae spei Ado-
lescentes, quos in pegmate hoc a latere meo stare videtis, decem linguarum Encomia ἀπὸ
στόματος recitaturi prodibunt. Ita autem recitabunt, ut in fine sermonis quilibet
Encomiastarum edisserat, suam, quam nominatim optime commendavit, linguam pentecostale
Spiritus S. esse donum. Atque ut hoc ipsum, quod edisserent illi, tanto facilius obtineant,
a re nostra non alienum erit, si in antecessum conjunctim omnes, quilibet autem in sua
lingua, post imploratum gratiosum Spiritus S. adventum, Orationem dominicam reci-
tent, adeoque recitatione hac πολυγλώττῳ mirabilem diversarum linguarum infusionem,
quae Apostolis in ipsa visibili effusione Spiritus S. sub initium Pentecostes Novi Testa-
menti contigit, repraesentent. Vos interim, Viri Apollinares, Vos Patroni, vos Fau-
tores, Vos Amici, benigne quaeso, diligenterque res audite, quarum depraedicandarum
gratia in altiorem hunc conscendimus locum. Et quoniam de linguis dicturi, vo-
tis meum comprecamini omnibus, ut a Superis lingua detur, quae certis par sit
expediundis. Nae res

Magnae molis erit linguarum dicere laudes.

Fridericus Caglerus
Glogov. Siles.